Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8249
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

uerba lectionum in corde.

Quare in uespertinali officio canuntur quinque psalmi. Ideo quia quamuis per .iiii. horas diei deprecemur dominum tamen per .v. sensus corporis multa in anis leticia. siue tristicia impedit mentem iusti per diem. Oculi adducunt illicitas formas. per aures intrant uerba detractionis et luxurie. per nares et non sunt aliene ab hoc impedimento. Mens quoque per os polluitur dum criminalia uerba loquitur siue ociosa. Manus et pedes sepe id tangunt unde fit mens deterior. Et quia istis .v. sensibus tendimus cottidiano affectu ad tenebras. necesse est ut in noctis initio per eis ueniam dominum deprecemur.

Querendum est si ad uesperam responsorium cantandum est. Fit utique in omni officio lectione precedente responsorium semper sequitur quod cessante lectione similiter deficit nisi matutinali officio. quia uidetur superfluum ibi cantatum per responsoriis nocturnalibus eo quod nocturnum coniunctim canunt.

Quare post psalmos et post lectiones dum dicitur uersus in uespere incensum offertur. Ideo quia nullus ualet reddere bonum odorem deo neque dare exemplum aliis operandi. quod significat per incensum nisi prius operetur in diuino officio. quod significat per psalmos et alios doceat quod significat per lectionem. Unde mos inoleuit ut antiphonam ad Magnificat et ad Benedictus ter siue tociens canendo per lectionem donec omnis populus qui intra est ecclesie odore incensi repleatur.

Querendum est quis debeat incensum offerre. Sacerdos qui maior est in officio qui uicem tenet aaron.

Quare Magnificat cottidie canitur. Ideo ut frequentior dominice incarnationis memoria. animos fidelium in opere dei et doctrina se exercentium ad deuotionem incepti operis accendat. quia fit ut si beate Marie semper actus et dicta recolamus. semper in nobis et obseruantia castitatis et uirtutis opera perseuerent.

Quare Magnificat canitur ad uesperam. Ideo ut mens nostra fatigata per diem diuersis cogitationibus incumbente tempore quietis recolendo dicta dei genitricis quicquid superfluum uel nociuum diurna uagatione contraxerat. totum hoc precibus et lacrimis ea intercedente mundet.

Quare completorium dicitur. Ideo in eo usus communis locutionis seu cibi. siue potus qui necessario sumitur ad sustentationem corporis.

Quare in completorio canimus .iiii. psalmos. Ideo quia in .iiii. psalmis .iiii. elementa corporis nostri commendamus deo pro periculis que plus dormiendo quam uigilando homines inuadunt. Sicut periculosum est homini dum transit ex hoc seculo nisi commendauerit se deo. ita periculosum est omnibus dormientibus nisi commendati fuerint deo aut per hos .iiii. psalmos. aut crucis signaculo. quia sopor est imago mortis.

Quare secundus psalmus completorii canitur usque ad .vi. uersus eiusdem psalmi. Ideo quia dominus dicendo sextum uersum eiusdem psalmi emisit spiritum. Cantamus autem illos .vi. uersus in completorio ut in hac .vi. etate conformemur dormitioni eius.